

sive capitulis dissensionis materia fuisset suborta, et ob hoc terram nostram supposuisset ecclesiastico interdicto, tandem compositio amicabile inter ipsum et nos median-
tibus fide dignis intercessit, prout in litteris nostris patentibus extunc super hoc datis
continetur expresse. Quarum litterarum tenorem praesentibus fecimus de verbo ad
verbum annotari in haec verba:

Nos Heinricus etc. — No. 165 — quam plures.

Cumque processu temporis inter venerabilem dominum Withegonem Misnensem epi-
scopum compatrem nostrum et nos super eisdem articulis et capitulis in ipsis litteris
comprehensis et quibusdam aliis de novo fuisset materia discordiae suscitata, et ob
hoc terram nostram similiter supposuisset ecclesiastico interdicto, venerabiles patres et
domini Lutolfus, Heinricus Nuenburgensis et Mersburgensis ecclesiarum episcopi ad
instantiam precumstrarum ad nos Dresden personaliter accedentes, compositionem
inter eundem dominum episcopum et nos, habentes super hoc speciale mandatum eius-
dem episcopi Misnensis ordinaverunt et fecerunt de omnibus et singulis in quaestionem
deductis, prout inferius per ordinem est expressum. Et quidem ad ordinationem dicto-
rum episcoporum Nuenburgensis videlicet et Mersburgensis liberaliter admisimus et
admittimus, quod de omnibus bonis nostris liberis et solutis terrae Lusaciae dabuntur
de cetero decimae praediales prout in privilegio nostro prius dato, de quo superius fit
mentio, plenius continetur, aliis articulis seu capitulis ibidem positis in suo robore
duraturis. De articulis vero de novo emersis inter eundem dominum episcopum
Wythegonem³⁾ et nos utpote de bonis vasallorum⁴⁾ et hominum Misnensis ecclesiae
taliter statuerunt, quod si quispiam eorum propter perpetratum aliquod maleficium vel
aliam causam profugus de terra factus fuerit vel detineatur captivus, persona delin-
quens persequatur salvis bonis propriis⁵⁾ quae ab episcopo tenet, de quibus idem
episcopus se intromittet. Praeterea si contingat nos aliqua bona comparare, quae sunt⁶⁾
decimalia episcopo et ecclesiae Misnensi, vel forte per⁷⁾ mortem aliquorum nobis vacare
contingat, episcopus suam decimationem de huiusmodi bonis sine nostro impedimento
et de nostra bona voluntate recipiet velut ante. Dicimus insuper et promittimus bona
fide, quod omnem rancorem, inimicitias sive odia, quae contraximus et habuimus erga
dictum dominum episcopum Misnensem compatrem nostrum dilectum et contra quos-
libet alios canonicos Misnenses et clericos, ex puro corde penitus relaxamus, nec umquam
ad memoriam revocabimus malo zelo. Haec autem universa et singula promittimus
nos inviolabiliter et fideliter servaturos, et ad maiorem firmitatem praedictorum hanc
litteram super praemissis conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Nos
quoque Ericus dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus, et nos Lutol-
fus eadem dei gratia Nuenburgensis et Heinricus Mersburgensis ecclesiarum episcopi
ad preces illustris principis domini Heinrichi Misnensis et Orientalis marchionis hanc
litteram sigillis nostris fecimus consignari. Datum et actum Dresden anno domini
M°. CC°. LXXXIII°. quarto Idus Septembris, praesentibus episcopis videlicet praedictis
qui compositionem huiusmodi ordinarunt, Syfrido decano Misnensi, Heinricho⁸⁾ cantore,
Johanne de Strele, magistro Theoderio praeposito Budesinensi, Conrado de Boruz
custode, magistro Gebehardo praeposito in Hayn, Arnolde de Jerehowe,⁹⁾ Petro cano-

3) Withegonem B. 4) vassallorum B. 5) bonis ipsius B. 6) sint B. 7) propter B. 8) Heidenrico B. 9) Jerichowe B.
COD. DIPL. SAX. II. 1. 26